



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 6. Propositiones ex libro Patris Lamy depromptæ, atque ab Andegavensi
Universitate censuris notatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

corruptionem. II. In ordine Divinorum Sæc. XVII.
 Decretorum Missio Jesu Christi est post de- A.C. 1675.
 cretum Electionis. Hanc vero novam
 fidem fabricandi licentiam acriter Ge-
 nevensibus Calvinistis exprobrabat Clau-
 dius Præco itidem Calvinianus, par- Vid. supra
 tim quod in punctis non solius discipli- lib. 199.
 næ, sed ipsius doctrinæ natura immuta- §. 129.
 bilibus variationem inducere ausi sint, p. 432. t. 60.
 partim quod tanta, & inaudita severi-
 tate horum articulorum subscriptionem exe-
 gerint, ut non modo suos Prædicantes,
 sed etiam externos dudum in ministerio
 constitutos eis subscribere coegerint, proin-
 semetipsos hi Theologi Genevenses damnent,
 acsi hætenus pacem injustam coluissent cum
 iis, quibus bellum declarare oportuisset.

§. VI.

*Propositiones ex libro Patris Lamy
 depromptæ. atque ab Andegavensi
 Universitate censuris notatæ.*

Elucubraverat Bernardus Lamy Sa- *Argentre*
 cerdos Congregationis Patrum Ora- t. 3. Collect.
 torii de morali disciplina quatuor dis- *Jud. p. 340.*
 cursus, quos Andegavensis Academiæ
 Magistris examinandos tradiderat: Hi
 vero die decima nona Octobris decla-
 rarunt, se in illis reperisse plures te-
 merarias propositiones, terminosque
 Monarchis, Principibus, Gubernato-
 Hist. Eccles. Tom. LXIV. B ribus

Sæc. XVII.ribus & Magistratibus infestos atque
A.C. 1675.injurios; eoquod illis imputare videatur, quod in statu naturæ corruptæ omnia ex injustitia, ambitione, & amore proprio agant, populos opprimant, eosque suæ gloriæ, avaritiæ & voluptati immolent, nec se ab hisce vitiis cohibeant, nisi vel quia non possunt, vel quia de suæ voluntatis successu desperant. Eapropter Universitas sequentes propositiones proscripsit, utpote quæ in subditorum animis rebellionem & aversionem erga Regem ejusque Ministros inspirant.

Propositio I. *Cum amore sui homo plenus sit, & ad se omnia referat, omnes odio habet, quorum societas non est illi utilis; nec solum odio habet, sed etiam injuriis prosequitur.*

II. *Quæ sunt in corde hominis affectiones, prima affectione vult omnibus præesse, & suo imperio eos, quibuscum vivit, subdere, secunda, egestatis timor est, quarum scilicet affectionum concordia constituit imperia, Respublicas &c.*

III. *In statu corruptionis nulla affectio caret culpa, si ergo hominum consortia querit homo, non ratione ducitur, sed vult habere, in quos imperia exercent. . . . Unusquisque igitur hac perversa affectione corruptus sibi omnia vindicat bona, dignitates, gloriam, quapropter manifestum est, que-*

quomodo hæc corruptio conditionum discrimina intulerit, cum illi, qui industria & viribus pollent, contentur sibi solis possessiones asserere, & aliis eripere. Sæc. XVII.
A. C. 1675.

IV. Homo in illo corruptionis statu, quo a nobis consideratur, cum omnia ad se referat, totam terram invaderet, & omnes homines imperio suo subjiceret, si vires illi subjacerent, ad eos domandos, & ut lupi vellent irruere in gregem, sed timent pastorum vigilantiam.

V. Qui ergo dignitates ambiunt, in illis tantum considerant divitias, honores, & Licentiam exercendi impune omnia facinora: ubi has dignitates adepti sunt, primam curam adhibent, ne ex illis excident; ubi autem id non timent, sæviunt in subditos, & suæ libidini cives immolant.

VI. Jus gentium, quo verbi gratia Legati sunt securi, ab illa perversa origine descendit.

VII. Reges nascuntur, aut eliguntur, nihil tam videtur rationi adversari, quam regimen demandari puero, qui adhuc in cunis vagit, qui nec jura dicere populis, nec illos tueri potest; sed homines non satis mentem advertunt ad statum suæ corruptionis; in quo utile est populis, ut potius filiis subjiciantur.

VIII. Si omnes summis illis virtutibus præstarent, quas assequi Christiani contendere debent, ad primum illum innocentiae statum

Sæc. XVII. *statum reverterentur, in quo nec ulla con-*
A. C. 1675. *ditionum inæqualitas, nec bonorum divi-*
sio existeret.

IX. Quolibet opere libero meremur, vel æternam felicitatem, vel æternum supplicium, cum quolibet voluntatis nostræ actu vel ad beatitudinem vel ad miseriam properemus.

X. In statu criminis omnes affectus vitiosi sunt & mali.

XI. Passiones hominis vitiosæ sunt tum ex parte objectorum, quoniam commoventur a rebus, quas spectare deceret sine ullo motu, tum ex seipsis, quia rationi non subduntur.

§. VII.

Protestantium Hungarorum rebellio contra Cæsarem.

Hist. Chron. cont. p. 198. Theatr. Europ. t. II. Wagner hist. Leop. t. 4. p. 341. Interim Prædicantes in Hungaria, qui adhuc ob pertinacem suam rebellionem aliaque crimina capti detinebantur, non modo Cæsarem, sed & externos Principes religionis affinitate sibi junctos præcipue Saxonix Electorem summis precibus exorabant, ut eis liberum suæ sectæ exercitium, simulque pristinam libertatem reddi curarent: annuit eorum votis clementissimus Imperator, ea tamen lege, ut se deinceps a seditiosis machinationibus, & ul-

ciscen-